

Q. J. B. V.
Cœnobii ad S. Fran-
ciscum

Nomen cum

Ordinis hujus Historia explicat,

insimulque

ad

Captandum felicia novi anni auspicia,

ACTUI ORATORIO,

in

Illustri Curiano

ad Diem 8. Januarii 1694.

habendo,

Præsentiam suam ne denegent,

Urbis nostræ PROCERES & Musarum FAUTORES

universos decenter orat

M. JOHANNES CHRISTOPHORUS WEZEL

Gymn. Rector.

CURIAE, Literis Minzelianis,

Sole his calendis Januariis in sua annui cursus vestigia denuò relapso, non ad Jani fanum, sed Christi præsepium vota, ex veterum instituto, quam religiosissime solvimus, atque sicut grates habemus Supremo illi rerum Moderatori maximas devotissimasque, pro infinitis, quas superiori anno indulgit, beneficiis, quippe & sine insigni clade prætervectus est, & spem dedit supprimendæ aliquando hostilis potentie optatissimam; Ita eundem pacis Principem, ut hic ipse annus *FELIX* illucescat ordiaturque; *Serenissimo PRINCIPIS* atque *NUTRITIO* nostro *Clementissimo, Achilli Germanie ab fuso hostes & civis servatos* in *Eois* æque ac *Hesperias* terras immortaliter merito; faustus idem ordiatur *SERENISSIMÆ* ejusdem *CONJUGI & PROLI*, totique adeo *AUGUSTÆ DOMUI*: Fortunatus dehinc sit *Proceribus* & universæ *Patriæ*, humillimis ardentissimisque precibus ac suspiriis demissè flagitamus.

Hæc nostra, hæc totius Patriæ vota sunt, justiora haud dubiè illis, quibus paupertati se addicunt Monachi, quorum cœnœtica sanctimonia & εὐλοφρησικία nec DEO, nec sanioris place-re potest judicii viris. Non opus est, ut cervicibus nostris nova imponamus onera, cum quæ injuncta divinitus sunt, omnes nostras jam excedant vires, quod pluribus possem demonstrare, si vacaret totius monachatus ruinosa nunc vestigare fundamenta. Quoniam verò ferias mihi jam fecerunt alii, non necesse videtur omnes irritandi in me ejusmodi crabrones. Satis igitur sic ex Franciscanorum vita tantum demonstrasse, ut de ceteris judicandi exigua, aut nulla restet difficultas. Ducit autem hoc genus hominum ortum non penque suum à *Francisco*, juxta Calvisii calculum, *A.C. 1182*. Astissii, oppido prope Spoletum in Italia nato, cui Johannis nomen initio baptismus dederat; quod is nescio qua peculiari religione mutavit. In prima quidem Juventute perditè vixit & omni nequitiorum genere

con-

contaminatus ex mercatore miles, ex milite carcinoma patris extitit.
 Sed mox ab hac feritate, visione quadam ad saniozem mentem
 consiliumqve retractus nuntium, ut ajunt, vitiis remisit priori-
 bus. Viderat namqve per visionem castellum quoddam variis
 armis, crucibusqve repletum simulqve audivit vocem monen-
 tem, ut miles Christi fieret. Ejurata igitur pristina malitiâ, cum a-
 liqvando preces funderet, rursusq; voce quadam moneretur, ut
 inclinatum Christi domum restauraret, pecunia, ille quam patri
 surripuerat, (adeo nempe monachorum artes tum jam invalue-
 rant) templum istius loci universum refici curavit, & *prapostera*
pietatis prima sic specimina tum primum edidit. Plagis hinc à
 patre exceptus & in vincula conjectus, patientiæ quoqve docu-
 menta ut daret, parenti exhæreditanti sua vel vestimenta misit,
 paratum ostensurus animum derelinqvendi cuncta propter
 Christum. Quin imò cum Dominico (nam uterqve ordo, sicut
 & S. Clara circa unum cepit tempus,) cernens *Festum, voluptates*
ac delicias Canonicoꝝ (der Chor-Herren und Thum-Herren)
 reliqvorumq; Monachorum, *ab domini suo servientium, cum Evangelio*
Christi malè convenire, ordinem mendicantium (den Bettel-Orden) an-
 no juxta *Hospinianum*, quem sequitur *Alexander Rosse* / 1198. *Pan-*
vin, 1209. *Franckum* 1224. *Martinum Polonum* vero, cui & *Wideman-*
nus ad stipulatur 1206. instituit. *Volateranus* & *Jacobus de Vora-*
gine scribunt statim discipulos nactum fuisse plurimos, sed de re-
 gula convenire diu non potuisse, tandem post fusas preces bi-
 blica eo cum proposito aperuisse, ut quicquid ibi primum obve-
 niret, pro regula haberetur. Oblata autem esse verba: *Si vis esse*
perfectus, vade & vende omnia &c. Secundò aperienti occurisse illa:
Nihil culeris in via. Tertia verò vice cum hæc obvenirent: *Qui*
me vult sequi, abneget se ipsum & collat crucem, Franciscum exclamasse
hec fratres nobis sunt pro regula. Venit posthæc ad Papam *Innocen-*
zium III. & confirmationem, regulas offerens, ordinis petit sui,
 cui ille per jocum cum responderet: *Vade frater & quare porcos, atq;*

cum illis in volutabro te voluta, hisq; regulam tuam erado: nemo futu-
rum arbitratus scil. qui tam durum vitæ genus amplecteretur, il-
le hoc consortium nihil recusans & fecit, quod præceptum erat, &
reversus, à mirante obsequiū Papa, confirmationem ordinis, be-
nedictionemque impetravit. Hæc de Francisco: quem etsi Pon-
tificii, velut magnum quoddam idolum, in sublimius coelum ve-
*hant laudibus, quis enim ignorat tribui illi *ἀγαθὰ ἰσχύει* inscripti-*
*one, publico Blesæ in Gallia templo affixa: *Quæretur peccatum ejus:**
non invenietur? quis ignorat inter sanctos relatum à Gregorio IX.
Alexandro IV. & Nicolao IV, qui omnes ordinem hunc confir-
*mârunt? quis ignorat *Bartholomeum de Pisis*, ex Dæmoniacæ fœ-*
minæ, cui Zaudeses nomen, relatione Francisco in lapsi luciferi lo-
*cum evedto, vexilliferi *Jesus* titulum tribuere & supra omnes sanctos, exce-*
pta Mariâ & Apostolis, collocare? (qui stolidi conatus non rarò in
ludibrium abiêre, cum enim Monachus quidam cum aliquando
super Confessores, Martyres, Virgines, Evangelistas & Apostolos adjecta
*formula: *Amice ascende*, exheret, tandemque cum Maria confe-*
*rens diceret: *Nondum invenimus locum Francisco nostro dignum*, offen-*
sus auditorum aliquis hisce nugis surrexit & abiens respondit:
Hem! si Franciscus tuus nullibi locum invenire potest, occupet sanè meum
locum, mihi enim abundum est. Vide Erasmus in libello de ratione
*concionandi.) Quis plurima alia ignorat *miracula*, quibus celebre*
nomen meruit? Ille etenim est, qui tumultuantem asinum unico
*hoc verbo: *Frater asine, esto tranquillus*, quoad concionem*
absolvero, mitigavit, ut ad pedes ejus desidens se componeret:
*Ille est, qui in calice benedicto *araneam*, quam extrahere vereba-*
tur, imbibit, postea fricans è crure citra læsionem emisit, & quæ
sunt hujus generis plura somniane dicam, an præstigiæ? quarū ma-
*gnam nubem *Aurea*, sed à ferrei stili ac plumbei cordis scriptore com-*
*pilata *Legenda* & *Wolffius* ex Bonaventura aliisque afferunt. Nos*
tamen eundem honorem Franciscum nec meruisse, nec ambire, ad-
firmare non ambigimus. Fuit enim vir humilis ac simplex, qui-
que

que ad hypocrisin & superstitionem, quam affectæ ejus promoco-
 tum eunt, nihil contulisse videri voluit. Placet hic doctissimi
 Micrælii apponere verba, quibus ille de Dominico & Fran-
 cisco mitius inter alia videtur pronunciare: *Judicet quisque, in-
 quit, quod volet. Uterque virorum cum densissimis superstitionis Babyloni-
 cæ tenebris luctabatur, & mulcum inde pravæ opinionum contraxerat,
 clericosque hinc à seculi contagio revocaturus, omnia superstitionum nebulis
 involvit; Nihil tamen secius plura, quæ supra naturam sunt, ab illis præ-
 stita sunt, nisi maxima eorum pars otiosorum Monachorum fabulæ sint: pro-
 ut exemplo est LIBER CONFIRMATUM, in quo Franciscus
 ipsi Christo ausu præfertur blasphemus. Si acta sunt malis genis, jam in vita
 austeritate nimia pœnam dederunt & rationem in altero seculo poscentur.
 Sin mitius de illis sentire velimus, vae vobis, qui virorum piorum sectatores
 vocamini, & seculo, cui renunciaastis, nimium contaminamini & piis ducum
 vestrorum institutis ad aciem superstitionis & hypocrisin abutimini. Optimè,
 Longissimè enim à magistro suo divertunt affectæ, quod vel i-
 psæ regulæ, ab eo præscriptæ, ubertim testantur, quas ita variè
 interpretati sunt seqvaces ejus, ut ex Franciscanis propullarint
 plurimi novi quasi ordines, qui differentia causa appellantur
 Minimi, Capuciani, Collectanei, Amadeani, Refor-
 mati de Evangelio, Chiacini cum barba, de Portiun-
 cula, Paulini, Pofiaini, Gaudentes, de Augustinis mit
 ihren offenen Schuhen & Servientes: quos inter maxime dista-
 bant *Observantes* & *Conventuales*, quorum illi Regulas Francisci
 καὶ τὸ ἴδιον, ἢ καὶ δὲ δὲ αὐτῶν intelligentes, divortio suo maximæ litis
 ac tumultus semina sparsere. Ut eo melius capiantur illa, ordi-
 ne fieri reor, si regulas ex Rossio, cum Hospinianus ad manus
 non sit, præmittam. Franciscus schrieb Anno 1198. seinen Di-
 scipulis diese Regel für: Sie sollten erbar/ arm und Christo ges-
 horsam sein/ deßgleichen auch dem Pappst und ihren Obersten;
 Niemand sollte in ihren Orden genommen werden/er wäre dann*

gebühlich examiniret und geprüfet; Die Geistlichen sollten in
 ihrem Gottesdienst folgen der Anordnung der Römischen Kir-
 chen/ und die Lehen: Brüder 24. Pater noster vor ihre Meister
 sprechen. Sie sollten in kein Haus kommen/ sie hätten denn ge-
 sagt: Friede sey mit diesem Hause/ und dann möchten sie essen/
 alles was ihnen fürgesetzt würde; Sie sollten mit keinem Gelde
 umgehen/ noch ihnen das geringste als ihr eigen anmassen; Sie
 sollten einander helfen; Eine Buße sollte auferleget werden denen/
 die sich versündigten/ sie sollten ihre allgemeine Zusammenkunff-
 ten oder Capitel halten/ und ihnen Provincial-Diener erwählen/
 und diese einen General-Meister über die ganze Bruderschaft
 setzen; ihre Prediger sollten Männer von guten Gaben seyn/ und
 nie draussen predigē ohne Consens des Bischoffs; sie sollten Brü-
 derliche Ermahnungen und Straffen gebrauchen; sie sollten sich
 zum Gebet/ Sittsamkeit/ Mäßigkeit und andern Tugenden be-
 geben/ und in keine Nonnen-Klöster gehen/ ohne die des bemäch-
 tigt wären; Niemand sollte ausgehen um Saracenen oder an-
 dere Unglaubige zu bekehren/ denn nur die jenigen/ so von den
 Provincial-Dienern gesandt würden/ sie allesamt sollten beim
 Catholischen Glauben beständig bleiben und niemand diese Re-
 gul übertretten/ wo er nicht den Fluch Gottes und der beeden
 H. Apostel/ Petri und Pauli auf sich laden wolte. Hanc regu-
 lam cum mirè extenderent voluptuosi Monachi, atque non so-
 lum ex minoribus majores fieri certarent *Johannes Florentinus* atque
Elias, Francisci vicarius, quorum hic cum factione sua congregatum fractis portis adit capitulum, atque, qui minister Gene-
 ralis dici ex Præceptoris instituto debebat, magistri Generalis
 honorem congregationi extorsit; sed & aliquoties de vestitu
 Anno scil. 1245 & 1415. contentiones orerentur, tandemq; Cle-
 mens V. Conventualibus granaria & cellaria concederet, *Petrus*
Johannes Minorita mascule se opposuit regulam & paupertatis labo-
 rari vorum clamitans. Non deerant, qui Zelote adhæserē huic, sed

sed illi ipsi non tantum varia ignominia affecti & per ludibrium *Frater*
de paupere vita, de opinione, de penitencia, Bizocchi & Bequini dicti; sed & à
 Johanne xxii. igni, ut hæretici, per inquisitores hæreticæ pravitatis, addi-
 cti, combusti que sunt. Combustos alii injustè damnatos clamare, elogi-
 um martyrum gloriosorum iis tribuere, cineres eorum in reliquiis San-
 ctorum ponere. Ipse ordinis *Generalis, Michael Casenas*, quem *Trihemius*
 in libro de scriptoribus Ecclesiasticis, in divinis scripturis eruditissimum,
 ingenio promptum & clarum eloquio, nec minus religione, quam scientia vone-
 rabilem vocat, reliquis Provincialibus, celebrato Perusii capitulo gene-
 rali, pontifici contradicebat. Pontifex erroneum censebat & hæreti-
 cum, si quis assereret, quod *Christus ejusque Apostoli, & alii, viam perfecti-*
onis sequentes, nihil juris, proprietatis & dominii, nec in communi, nec in speciali
habuerint, sed nec jus quicquam vendendi vel donandi usurparint. Id ipsam
Casenas sanum & Catholicum proclamabat. Tandem cum Papæ aua-
 ritia prævaleret, & *Zelota* secessionem facere cogerentur, alii in desertis
 latuerunt; alii & inter eos ipse *Casenas, Guilielmus Occam, Henricus de*
Chalem, Bonagratia, Bergomas, apud Imperatorem Ludovicum receptum
 habuere. Quos autem ex illis Pontifex in suam redegit potestatem, tan-
 quam convictos hæretici erroris, ut qui dixissent, Christum ejusque Di-
 scipulos nihil privati vel proprii habuisse, ad rogum damnavit. Hæc te-
 nus ex relatione *Michaeli*. Quales autem jam *Monachi Curiani* fue-
 rint? non longa disquisitione indiget; Conventuales enim fuisse argu-
 unt reditus & granaria cellaque spatiosa satis; arguit *πλεονεξία*, cujus
 studio nihil artis, nihil laboris omisere; arguit impudicitia, de qua supra
 p. 135 & alibi actum; arguit fastus & non ita multis abhinc annis duo cu-
 culli serici à trabibus auditorii nostri superioris extracti; arguit perversa
 pietas, quâ, etsi non aliorum more pecunia ad id conducti recitatione
 Psalmi 109. aliis necem intulere, (Vide *Bakium Copios. Evang. Expl. p.*
m. 315) per Dei gratias tamen suam, supra pag. 42. allegatum omninò
 meruere, ut illud *Erasmi* illis occinam & hic ob paginae angustiam nar-
 rationem meam claudam: *Ob colorem paulò fusciorum, omnia miris tragœ-*
dis miscent. Ex his videas quosdam admodò rigidi religiofos, ut summa veste, non
nisi cilicinâ utaneur, intinâ Milesiâ. Alios contra, qui supernè linei sunt, in-
 time lanci. Rursum alios, qui pecunia contactum, cum acenitum herant,
 nec à vino interim, nec à mulierum contactu temperantes. Et alibi: *Partes ad-*
ministrandi regni vicariis delegant, & vicarius iterum vicario tradit, Rursum
sæ


Sacerdotes, qui sese vocant seculares, quasi mundo initiati non Christo, in regulares hoc devolvunt, Regulares in Monachos, Monachi laxiores in arctiores, omnes simul in mendicantes, mendicantes in Carthusienses, (Franciscanos) apud quos solos sepulta latet pietas, & adeo latet; ut vix unquam liceat conspiceri. Quanto igitur satius est, bonos ex his redivitibus ali praeceptores, quorum unus plus commodi affert reipublicae, atque centum ejusmodi ignavi fuci; quam Franciscanis Francisci regulis prorsus contrariis vel vacuam concessisse sedem, quorum vita scandalosa toti regioni detrimento est? Laus sit & gloria Jovae, qui discentium bono hanc Catastrophen, per reformationem, tam infelicibus ausis olim addidit, ut nunc artes bonae floreat ibi, ubi nequitia regnavit antea. Faxit idem supremus Scholarum moderator, ut inter nostros quoque multo nunc eradicato Gymnasii Zizanio, nullum succrescat posthac infelix lolium! Ad hunc scopum collimabunt orationes binæ Auditorum nostrorum, qui de discipulis extra Cathedram dicent publice, & primus quidem

GUOLFGANGUS HEINRICUS ABT Monachomantanus, ideam boni discipuli, ut factis aliis, ita verbis nunc exprimet & oratione delineabit auditu non plane injucunda;

NICOLAUS SURBER/ Taldizensis, Juvenis moratus probus ac spectatae industriæ nec literarum plane rudis peavi mores referet.

Succedet brabenta RECTOR, & boni pravique Discipuli pramia orationucula brevissima junget.

Nobis ergo ut audiendi gratiam faciant SERENISSIMI PRINCIPIS ac Domini nostri NUTRICIIQUE Clementissimi Consiliorum Praeses Summus, Consiliarius Intimus Eminentissimus, Exarchus Provincialis Curiae gravissimus, Illustrissimus Comes ac Dominus, Dominus JOHANNES ALBERTUS, Comes de Ronov & Biberstein, Dominus in Oppurg, Knau, Krobiz & Grünau, Dominus noster multum Gratosissimus; Nec non Viri maxime Reverendus ac Generosus, Dominus Josephus Friedericus de Waldeck, Haereditarius in Culmiz & Dæbra-Stöcken &c. Pastor primarius & incorporatarum Ecclesiarum Superintendens, Gymnasii indite Inspector Gravissimus, cum Reverendo plurimum Ministerio; Nobilissimi, Excellentissimiqve Physicus Ordinarius Adjunctus & Medicus; Consultus Domini Officiales; Urbis Senatus prudentissimus, Spectatissimusqve Gymnasii nostri Patronus & Scholarcha; nec non Honoratissimi Domini Collegæ, Præximii ac Clariss. Dn. Studiosi, omnesq; Literarum Patroni & Fautores, ea, qua par est, devotione & humanitate obaixe rogitō. P.P. ipsis Cal. Januarii 1694.



Urbis no
M. JOH

Co

nt,
URUM FAUTORES
RUS WEIS/

xplicat,

uspicia,
O,

LO

nt,
URUM FAUTORES

RUS WEIS/

.Fran.

